# ORATIO

## ANNIVERSARIA

## In THEATRO Collegii Regalis

## Medicorum *Londin.* &c.

B L

# ORATIO

1184 c 12
* 4

## ANNIVERSARIA

In Theatro Collegii Regalis

## MEDICORUM

*LONDINENSIUM;*

H. Harris fl.

Ex Harvæi Instituto,

Habita Die 18° Octobris, 1737.

*LONDINI:*

Apud GEO. STRAHAN, sub signo Pilæ Aureæ è regione Excambii Regalis.

M. DCC. XXXVII.

# ORATIO

## ANNIVERSARIA

In Theatro Collegii Regalis

## MEDICORUM

LONDINENSIUM;

Ex HARVEI Instituto,

Habita Die 18° Octobris, 1737.

LONDINI:

Apud GEO. STRAHAN, sub Signo Pilæ Aureæ è regione Excambii Regalis.

M.DCC.XXXVII.

DOCTISSIMO VIRO

*THOMÆ PELLET*, M. D.

PRÆSIDI Digniſſimo,

SOCIISQUE ORNATISSIMIS

Collegii Regalis Medicorum;

HANC

ORATIONEM

Pro more editam,

Eâ quâ par eſt Obſervantiâ,

D. D.

*Jacobus Monro.*

Doctissimo Viro

THOMÆ FELLETT, M.D.

PRÆSIDI Dignissimo,

SOCIISQUE ORNATISSIMIS

Collegii Regalis Medicorum;

HANC

ORATIONEM

Pro more editam,

Et quæ par et Observantiæ,

D. D.

Auctor.

QUOD instituti nostri postulat ratio, atque hodierna nos jubet Solennitas, id lætâ atque alacri mente aggredior, quippe quod mihi persuasum habeo, nihil auribus gratius, animisve vestris accommodatius esse posse, quàm *Benemerentium* encomia; Illorum præcipuè, qui studiis fortunisque suis, in medicinâ tum excolendâ, tum promovendâ, prudenter collocatis, utilissima Humani Generis exempla, præclara extitêre nostri

Ordinis ornamenta. Tali nos genere ortos gratulari liceat; tales ex hoc ipſo amicorum cœtu, nobis pollicemur non defuturos; Accipite igitur (SOCII CHARISSIMI) quas olim ipſi jure a Poſteris poſcatis laudes, et prælibate futura; ſeri, precor, in cœlum evehamini, neq; præmaturum increſcentibus indies finem det meritis Deus.

Artem quicunque medicam ritè ſecum animo perpenderit, clementem eam ſcilicet atque miſericordem, ex ipſis humanæ vitæ calamitatibus ortam, atque in iiſdem ſublevandis unicè occupatam, illum ſanè, augendis hominum utilitatibus et commodis, optimè conſuluiſſe lubens fatebitur, qui primus *Collegium* hoc *Medicorum* inſtituit; quicunque verò in hac noſtrâ civium frequentiâ verſetur, morborumque undiq; graſſan-

graſſantium multitudinem animadverterit et vim; qui Noſocomia (chriſtiana illa hujuſce urbis ornamenta) penitius inſpexerit, opiſque noverit quam ſint indiga noſtræ; is *Linacri* memoriam, optimo jure à Poſteris pronunciabit conſecratam, qui nos legum auctoritate muniri, privilegiis donari, in unum conſociari voluit, et exinde curavit, ut homines idonei atque integri, medendi provinciam ſuſciperent, ſaluti civium ſuorum proſpicerent, neceſſitatibus publicis ſubvenirent.

At *Linacri* laudes, celebrabuntur illæ quidem, non ſolum noſtris, ſed totius Europæ literis atque linguis, cui quippe (cum cæteris ſui ævi literatis prorſus Heroibus) acceptam refert, Eruditionem omnem ſibi conſervatam atque reſtitutam; linguæ ſcilicet utriuſque peritus, ſcriptis

ſcriptis ſuis aliorum ille induſtriam excitavit, aliis exprobravit ignaviam; atq; ita cum Græcis Latina conjunxit, ut ſuâ interpretatione Galenum non illuſtrâſſe ſolum dicitur, ſed feciſſe meliorem; medicinam enim artibus magis omnibus unam excoluit; hanc in Monachorum clauſtris, ceu juncos inter limoſos, jacentem repperit, vagientem excepit, ſinu ſuo fovit, Regiæ Majeſtati commendatam tradidit, hinc liberè educendam, atque omni demùm arte Ægyptiorum erudiendam.

Cum verò incepta omnis inſtitutio, manca plerumque fit, et imperfecta, niſi accedat, quod eam alendo atque augendo ſuſtineat et tueatur; ne his igitur præcedentibus initiis quidpiam deeſſet, Societatis hujuſce tutelam ſuſcepit *Caius*, Præſes idem, atq; ſtrenuus

(ſi

ius Collegii
d Cantabrig:
enator floruit
Henrico
avo fundatore
Legii Medicorum.
Ca

(ſi quis alius) vindex atque conſervator. Literis eſſe apprimè eruditum, atque omni experientiâ medicâ inſtructum, non illi ſatis videbatur ad officii ſui munus, decuſve ſuſtinendum ; vigilare inſuper inſtituit, inſtare, Inſignibus ornare, famæ conſulere, Comitiis intereſſe, atque in his Regiminis ſui muniis obeundis parentis inſtar providi atque propitii ætatem contrivit ; nos enim adoptavit, habuit, amavit pro ſuis, atque in rebus noſtris ſe unicè oblectavit.

Quæ vero de *Caio* noſtro recenſenda meditatur oratio, ea cum *Linacri* laudibus ita conjuncta reperimus, ut quidquid uni attribuamus, id in alterum mutato videamus nomine tranſmigrare ; par erat utrique ingenium, par ſtudiorum ratio atque progreſſus,

pares honorum decurſus, eadem in utriſque Latini ſermonis elegantia, eadem in veterum ſcriptis ſive edendis, ſive transferendis, diligentia, adeo ut in literis inſtaurandis, partem haud exiguam jure ſibi vendicet Medicina, quæ felix prole ſuâ (illâ licet haud numeroſâ) viros peperit, quibus cordi fuit, ut Literaturam jam propè extinctam, ex fati faucibus eriperent, ut Diſciplinæ atque Artes veterem illum nitorem ſuum reſumerent, et reddità juventute revireſcerent.

Græcis ſic fontibus recluſis, omnigenæ eruditionis proventu perfuſus eſt *Literatus Orbis*; ſed ea erat ætatis iſtius prudentia, ut antiqua literarum monumenta excutere maluerit, quam venerari; ea erat induſtria, ut æmulari potius cœperit, quàm ſequi. Ex Galeni

ſcriptis

ſcriptis ſatis abundeque patebat, quanti eſſet Anatomia, quàm ſtabile atque ſolidum phyſiologiæ fundamentum, ex *Humani Corporis* viſceribus eſſet eruendum; plura tamen dolendum erat in hac parte inconſideratè ſcripta, ab eruditis illis quidem viris, ſed non ſatis inſtructis, neglecta penitus, atque intacta, multa relinqui, vix quicquam ita exhauſtum reperiri, quin ampla adhuc ſupereſſet materies, in quâ ſeſe exerceret poſterioris ævi diligentia. Et ſanè in hac re *Patavio* gratulemur oportet, Academiæ, olim in Medicinâ florentiſſimæ, *huic Societati* multis nominibus charæ; nolite a me commoneri velle, quales quantoſque viros huc ex ſinu ſuo transfuderit; nolite a me reſciſcere, quantum in hoc ipſo Anatomiæ ſtudio ſudaverit; præclaros potius *Veſalii*, *Euſtachii*, *Spigelii*, quos evolviſtis labores

labores recolligite, atque recogitando animadvertite, quanta ab illis ad œconomiam animalem introſpiciendam, feneſtra patefacta eſt.

Sentio tamen me in rem incidiſſe, exemplis non aliunde petendis, ſed domeſticis pariter refertiſſimam. Res anatomicæ, digniſſimæ ſemper à majoribus noſtris ſunt judicatæ, in quibus elaborarent maximè, atque in iis tantum profeciſſe gloriamur Noſtrates, ut vix quicquam habeamus, quod magis in decus et laudem Societatis noſtræ redundaverit. Ex quo *Caldwaldus* Prælectiones ſuas Chirurgicas inſtituit, ex quo cadavera incidenda juſſit *Gulſtonus*, quò cauſæ ſedeſque morborum melius innoteſcerent, excitati ſunt illico ex hac Societate, homines non ſocordes, ut defunctorum corporibus animum atque

que oculos adverterent, et cœca regentes cultro veſtigia ſecundæ atque adverſæ valetudinis latibula luſtrarent, omnia demùm obnixè pertinaci labore atque contentione explorarent, quæ ad partium ſtructuram, uſus, morbos, aliquo modo pertinerent.

Atqui jam illa dicere quæ ſua induſtriâ atque ſagacitate aſſecuti ſunt, longa eſſet hiſtoria, longæ ambages; ſed ſumma quædam rerum faſtigia nequaquam a nobis hoc loco prætereunda.

Erat Hepar inter viſcera ut mole, ita momento maximum, nihil illi a veteribus non attributum, atque, ita ut fit, nihil erat in quo magis decepti hallucinabantur; hujus fabricam omnem ſibi explorandam ſuſcepit *Gliſſonius*, diſtri-

butiones vaſorum exuto Parenchymate detexit, Sanguificationis munus illi detraxit, Bilemque tragico prius more per omnia membra deſævientem, intra proprios cancellos, ſublato jure nocendi, coercuit.

Glandulas externâ tantum ſpecie, et colore ſpermatico notatas, ſuperfluiſque (neſcio quibus) corporis humiditatibus Spongiæ inſtar imbibendis deſtinatas, ad ſecernendos humores exſtructas, coarguit *Whartonus*; atque ita ſalivæ fontes perſcrutatus eſt, ut Doctrina omnis de Secretione Animali, ex ejus ſcriptis fluxiſſe quodammodo videatur.

*Williſius* ſubtilitate ſibi propriâ, cerebri mæandros, arte pluſquam humanâ retexit, nervorumque filamenta, mirabili

rabili atque erratico lapſu ſerpentia inveſtigavit, quæ totos diffiuſa per artus, terrenam hanc agitant molem, fiuntque nunc Inſaniæ, nunc Sapientiæ germina; felix ille, cui ſenſus natura indulſit, neque irritabiles nimis, neque hebetes prorſus, atque calloſos.

Muſculoſam Cordis ſtructuram oculis ſubjecit *Lowerus* ex tam fibroſâ compage glomeratam, ut cuivis pateat intuenti, quanto robore muniri hanc partem voluit natura.

Atqui hæc omnia ab *Harveii* noſtri ingenio ita profluentia accepimus, ut delectari ante eum pauciſſimis, mirari neminem poſſis, niſi ab illo adjutum, atque inſtructum; ex uno ſuo ſimplici de *Sanguinis Circuitu* invento, hunc uberem omnem fructûs pulcherrimi retu-

retulimus proventum ; ex hoc, velut ex puncto ſuo cordis ſalienti, fuſis multiplici propagine hinc inde vaſorum ramuſculis, *Medicinæ Rationalis* fabricam omnem oriri, in hoc vitam omnem ſpiritumque contineri videmus. Uſque adeo inventæ veritatis ubertate, inquirendæ tædium abundè compenſatur.

Ne vero tantorum meritorum lateant fundamenta, liceat fontes ipſos adire, atque exquirere, quibus artibus ad hanc gloriæ ſummam *Harveius* noſter pervenit. Veri appetens, Naturam fidiſſimam arcanorum ſuorum interpretem ratus, experimenta ſenſuum, ſibi optima Ratiocinationis fundamenta poſuit ; nullum ergo laborem fugit, tempuſve remiſit, quin ſe, quin naturam ipſam excruciaverit ; placuit illi

præcipuè

præcipuè animalium diſſectio, in extis conſulendis haruſpici feliciſſimo, quippe qui de ſe profeſſus eſt, nunquam animalis cujuſpiam inſpectionem inſtituiſſe, quin aliquid in eo inexpectatum reperiſſe, de quo vix anteà cogitaverat.

Lentis, ſed fidis paſſibus incedens, patiens operis, atque indefeſſus agendo, arduâ ſed certâ ad ſcientiam tentabat iter viâ; præcipiti enim feſtinatione infirmari philoſophantium veſtigia viderat, viroque indignum judicavit, ea fidenter effutire, quæ non ſatis comperta eſſent, atque explorata; inde adeo Prælectiones ſuas, coram hac Societate habitas, atque probatas maximè, nonum uſque premebat in annum, claro indicio, quàm ſit aſſiduus eminentis ingenii comes pudor.

Quàm incredibilis illi ineſſet animi vigor atque impetus, ex eo conjectari licet, quod non uſitatâ nec tenui ferebatur pennâ, ſed ſublimia quæque aggreſſus inſolito quodam niſu, in arcaniſſima naturæ myſteria penetraverit. Perdifficilis ſanè et perobſcura agitabatur quæſtio, de *Motu Cordis et Sanguinis*; hanc ſibi dilucidandam ſuſcepit, nec quievit, donec cauſam omnem expediverit, remque ipſam correptam manibus vincliſque tenuerit. Et ſi illam alteram de *Generatione Animalium* caliginoſâ nocte premi voluerit Deus, hoc verè dici poſſit, neminem prima Fætus incunabula felicius rimatum fuiſſe, neminem de illis ſcripſiſſe meliùs.

Sed

Sed Loci admonet consuetudo, ut tanti Viri munificentiam, meritis prosequamur laudibus, et pro collatis in nos beneficiis, grates debitas persolvamus; atque ea quidem lubens fido ordine jam ante recitâssem, atque omnem grati animi voluptatem explevissem, nisi palàm esset, ædes hasce, magnitudine Nominis sui et Famæ magis amplificari, quàm liberalitate fortunarum. Hæ sunt divitiæ, hæ epulæ, hæc est illa Hæreditas, quam nobis fuisse gloriamur ex asse relictam.

Talibus exemplis ornata, tali professorum suorum industriâ exculta, Medicina (temporis filia) elegantius incedere, atque ex rudi et rusticâ, urbana cœpit et concinna haberi. Quæ si in nostrâ Britanniâ illustrior emicuit, id

loci

loci genio, id tribuendum honoribus, quibus apud nos, utile omne atque decorum præcipuè ornatur. Ubi improbatur ars noſtra, ab iis fere bellis atque delicati ingenii homunculis repudiatur, quibus diſplicuiſſe honos eſt; heu! inſanientis judicii quantas pœnas luent, dum tales ſalutis ſuæ ſatellites atque adminiſtros adhibeant, quos nulla unquam ignominia à turpitudine, non metus à periculo, non ratio ab errore revocavit!

Longè vero alia atque his contraria promittit mens atque indoles nutrita fauſtis hiſce ſub penetralibus, quæ Viros emiſêre, omnibus artibus, quæ ſunt libero dignæ, perpolitos. Liceat nobis pro more exempla quædam ante oculos ponere, liceat progeniem noſtram

noſtram in aſpectum lucemque proferre.

Et ſi quis de febribus (periculoſæ plenum opus aleæ) dignè ſcripſerit, ea certè *Sydenhamo* noſtro concedenda eſt gloria, qui plura ex ægrorum querelis elicuit, quàm quis alius ex ingenti librorum ſupellectili deprompſerit ; Veterum ſanè ſive Recentiorum ſcripta evolveris, neminem invenies ita cautis atque tutis gradibus, per ignes ſuppoſitos cineri doloſo, incedentem. Ille impigrè prudenterque, ægrotantis, morbique vires pariter attendere, cognoſcere quid boni utriſque, quid contra eſſet, explorare febris itinera atque progreſſus, inſidias antevertere, nihil apud ſe remiſſum, nihil apud ægros omiſſum pati ; hinc in tradendis morborum hiſtoriis, characteres cujuſque,

atque phænomena ita ad vivum expreſſit, ut ſua cuique ſpecies, colorque proprius, Lectori pænè ſub aſpectu ſubjiciatur. Nullius imperio ſubditus, non quid huic vel illi placiturum cogitavit, ſed quod actum erat, expoſuit, fidi Hiſtorici partes agens, nihil falſi dicere auſus, nihil veri non auſus.

Quid ſedula et attenta potuit obſervatio, nos docuit *Sydenhamus;* a *Ratclivio* autem diſcimus, quid promptum atque celere ingenium, quid ab acuto homine fieri poſſit naturâ uſuque ſagaci. In hac tantâ obſcuritate rerum, in hac noſtrâ tam multiplici, tam reconditâ, ſubtilique arte ita verſatus, ut cæteros omnes præiret, Medicorum ſui temporis facilè princeps atque tyrannus. De inſtantibus veriſſimè judicabat,

dicabat, de futuris tam callidè conjiciebat, ut infirmus quiſque ſibi diffidens, languentes oculos in hunc unum converteret, qui omnem expediret morbi cauſam, eventuſque ſecundaret, adeo ut ægri fiducia, et medici auctoritas, in famam ejus junctis viribus conſpirarent. Callidum omne atque quæſtuoſum exoſus, non fortunæ, ſed hominibus inſerviit; pauca, ſed neceſſaria imperavit; neque minimis quibuſque inhærens, vultu oculiſque compoſitis, ſingula ſæpè ſæpius notans atque introſpiciens, ſcientiæ perſpicacioris nomen, nugis captavit. Mores hominum utcunque diſſimulatos aut celatos, vimque omnem Humanæ Naturæ, nemo melius detexit intellexitve, nemo tanto cum ſale atque libertate notavit. Famâ præter cæteros egregiâ, illis, quos fulgore ſuo urebat, minùs forſan

forſan acceptus; quos verò præcellenti ingenio extinxit vivus, iis ſopitâ cum morte invidiâ, ſplendorem et dignitatem attulit, quod ipſe ſuſtinuit decus, poſteris facili adimplendum negotio relinquens. Academiæ ubi enutritus erat, memor uſque diſcipulus, ſubſidia ibidem locavit, ne quid adjumenti ad Artem noſtram ſive provehendam ſive ornandam emergentibus ingeniis deeſſet; et ne in publicis operibus aggrediendis ſibi diſpar videretur, jam cœpta ingenti molimine aſſurgit Bibliotheca, dignum tanti nominis Mauſolæum.

Poſt *Ratclivium* ſimili *Johannes Freindus* emicuit ingenio, Vir naris emunctæ, omnibus ipſe naturæ et doctrinæ præſidiis inſtructus, literarum eruditus Judex extitit, neque illis unquam

quam defuit Patronus. In amicitiis integer atque incorruptus ; quippe quantas iſta res commoditates habeat, penitus inſpexerat ; nos certè, admonitione non minùs ſincerâ quàm crebrâ edocuit, Mœnia noſtra ſummâ ſolum *Sociorum* conſenſione ferruminari, nec niſi odiis atque diſſidiis arietantibus everti poſſe. Erat in illo erecti animi dignitas, fortitudo par ; multiplex inſuper ingenium, ad omnes ferè res aptum atque formatum ; ad quodcunque animum adjunxit, id celeriter arripere atque complecti ; neque illi in politicis etiam rebus, aut conſilium aut linguam defuiſſe, verba ſummo cum audientium plauſu, ſæpiùs coram Senatu habita teſtantur. Neque vero viri, quem colebam maximè, laudibus mihi ita inhærendum arbitror, quin

idem meminerim intemperatâ oratione amicorum potiùs periclitari quàm commendari famam.

Diverſis moribus, ingenio haud pari, ſed ingenti virtute erat *Richardus Hale*, cujus ſive opes, ſive famam reſpexeris, meritis ipſius abundè ſuffragantes invenies; vultum habitumque hominis inexpertus reformidâſſes, expertus reveritus fuiſſes; in arte enim ſuâ peritus, in literis eruditus, in vitâ ſanctus; nullius rei ſimulator aut diſſimulator, Principibus placuiſſe Viris nequaquam præ ſe tulit; Spartam verò, quam nactus fuit, ornavit, furentes Maniacorum impetus, non tam vinclis et carcere frænans, quàm apto medicamine ſedans, omnemque excutiens animi moleſtiam. Et nos quidem vita

in

in his tragœdiis occupata, uſuſque docuit, quàm preſſo pede illius veſtigiis inhærere cogimur, licet haud fiat paſſibus æquis.

Dum verò temporis noſtri recordamur memoriam, ſentio me in vobis Amicorum quaſi recens defunctorum excitâſſe deſiderium; non eſt autem quòd tantarum virtutum interitus, avaritiæ modulo metiamini, credentis, amiſſæ pecuniæ jacturam, nullo remanentis acervi pondere reſarciri poſſe; jam incolumes habemus, jam præſentes intuemur, qui in hac quotidianâ noſtrâ, aſſiduâ, urbanâque vitâ, et Sibi, et Ordini noſtro ſplendorem, gratiam, celebritatem conciliant; inter quos te, *Præſes digniſſime*, et Nomine et Re eminere, adeò apud omnes in confeſſo

confeſſo eſt, ut dubium ſit, utrùm plus hoc laudis habeat, an veritatis.

Neque verò ſolùm de profeſſoribus noſtris nobiſmet gratulari licet, non ſolùm præſentis ævi lumina cum gaudio et voluptate undique circumſpicere, ſed etiam ſurgentia regna, animo prægeſtienti contueri poſſumus; dum Rem Medicam nova quotidiè ſumere incrementa cernimus, dum Noſocomia non ſolùm in hac noſtrâ Urbe, ſed etiam in remotis Civitatibus ſurgere, vigere, largumque proventum tum Arti noſtræ, tum Genti Britannicæ polliceri.

Videre videor, animuſque mihi non vano præſagit augurio, per Academias quoque noſtras, ſimili modo infirmorum

rum ſaluti conſultum iri, atque præclarum illud munificentiæ genus inſtitutum fore, quo egentes abundent, imbecilles valeant, atque etiam mortui vivant. Ideoque nos præſertim hanc ſpem lubentius concipimus, quòd in harum alterâ, Rem Botanicam, Magiſtri peritiſſimi curâ enutritam, jamdudum efflorescere, germinare, fructuſque uberrimos, tum in Academiæ, tum Reipublicæ ſinum, videmus profundere; quaſi denuò, ut apud ſæculum prius, naſcentis imperii primordia, in herbarum viribus exquirendis, poſitum iri voluerit Medicina; ex hiſce inde Sedibus ingenia nobis ſuppeditari confidimus, eò in uſus publicos paratiora, quò illarum præceptis inſtructa magis atque conformata. Ut enim voto finiatur oratio; utinam in acade-

miis noſtris, ne ulla unquam optimarum Artium deſideretur, quæ illis honori eſſe poſſit aut præſidio; huic autem noſtræ Societati nihil unquam deſit, quod Medicæ Artis emolumenti quidpiam conferat, aut gloriæ.

*FINIS.*

BL